



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 80. Valachiæ Princeps Regem Poloniæ a bello dehortatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. Cardinalem Venetum Eugenii Papæ Ne-  
A. C. 1444. potem Classis Præfectum, transmissum  
fuerat, Rex Poloniæ die vigesima prima  
Septembris Ségedino castra movit, co-  
piis tamen paucioribus, quam anno su-  
periore, non paucis Polonis atque Vala-  
chis ob vulgatas cum Turcis inducias ex-  
auctoratis. Trajecto ad Orsavam Da-  
nubio, expositoque in Bulgaria exercitu,  
nec ullius arcis obsidionem tentare, nec  
ad prædam milites discurrere, aut ho-  
stibus insultare Rex patiebatur. Con-  
stituerat enim, nec tempus perdere, nec  
vires suas præcipiti ausu consumere, pri-  
usquam conjungeret se cum navalibus  
copiis ad Hellespontum. Nonnisi Nico-  
polis Bulgarorum Metropolis suburbana  
oppugnabantur, eoquod suas ab incolis  
divitias illuc advectas esse, rumor sparsis-  
set. Verum Poloni cum urbs milite ac mœ-  
nibus strenue defensa esset, ab oppugnatio-  
ne cessarunt, atque iter suum prosecuti sunt.

## §. LXXX.

*Valachiæ Princeps Regem Poloniæ  
a bello dehortatus.*

Princeps Valachiæ magnitudine animi,  
ac rebus præclare gestis oppido ce-  
lebris, contra Turcas, quorum arma abs-  
que alio exterorum auxilio diu susti-  
nuerat, ad expeditionem Regis Polo-  
niæ

niæ accurrit, spe fretus, domitis vicinis Sæcul. XV.  
hostibus, se quoque in sua ditione reli- A. C. 1444.  
quos vitæ dies pacate transacturum.

Verum, ubi exiguum militum, quos La-  
dislaus ducebat, numerum animadver-  
tit, Regem omnimodis obtestari cœpit,  
ut a bello desisteret, & ne ultra conten-  
deret adversus Turcarum Imperatoris  
potentiam, qui, ut inquiebat, cum vali-  
diore propemodum mancipiorum manu  
venatum prodire scleret, quam Hunga-  
ricæ tunc essent copiæ: cum & insuper  
fævitia hyemis instaret, cuius rigorem  
vix superare posset: ac proinde ad op-  
portunius tempus Legiones reservandas,  
& interim subsidiarios exterorum milites  
sibi promissos exspectandos esse suadebat.  
Cum autem Princeps Ladislausum Regem  
utpote spe suppetiarum Græcorum & Ita-  
lorum fretum, a suscepto consilio reuo-  
cari non posse cognosceret, quatuor millia  
equitum, proprio suo Filio Duce, copiis  
Regiis adjiciens discessit. In Thraciam  
deinde Rex exercitum suum ducebat,  
ubi in itinere quædam Turcarum præ-  
sidia diripienda militibus concessit. Sæ-  
vitum est etiam ab iis per summam licen-  
tiā in templo, & sacra Græcorum atque  
Bulgarorum, non sine intimo Regis dolore,  
qui in sacrilegi furti reos inquire, casti-  
gari, ac injuste ablata restitui jussit.

## §. LXXXI.